

*Peracta quoque missa huiusmodi, omnes illi electores seu nuncii accedant ad altare, in quo missa eadem extitit celebrata, ubi principes electores ecclesiastici coram ewangelio beati Iohannis „In principio erat verbum“, quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reverentia superponant, seculares vero principes electores dictum ewangelium corporaliter manibus suis tangant, qui omnes cum tota ipsorum familia tunc ibi debebunt inermes assistere. Et archiepiscopus Maguntinensis formam iuramenti eis dabit et una cum ipsis, et ipsi vel absentium nuncii una cum eo, iuramentum prestabunt vulgariter in hunc modum:*

[5] „Ego ... archiepiscopus Maguntinensis, sacri imperii per Germaniam archicancellarius ac princeps elector iuro ad hec sancta dei ewangelia hic presentialiter coram me posita, quod ego per fidem, qua deo et sacro Romano imperio sum astrictus, secundum omnem discretionem et intellectum meum cum dei adiutorio eligere volo temporale caput populo christiano, id est regem Romanorum in cesarem promovendum, qui ad hoc existat idoneus, inquantum discretio et sensus mei me dirigunt. Et secundum fidem predictam, vocemque meam et votum seu electionem prefatam dabo absque omni pacto, stipendio, precio vel promisso seu quocumque modo talia valeant appellari. Sic me deus adiuvet et omnes sancti“.

[6] Prestito denique per electores seu nuncios in forma et modo predictis huiusmodi iuramento, ad electionem procedant nec amodo de iamdicta civitate Frankenford separentur, nisi prius maior pars ipsorum temporale caput mundo elegerit seu populo Christiano, regem videlicet Romanorum in cesarem promovendum. Postquam autem in eodem loco ipsi vel pars eorum maior numero elegerit, talis electio perinde haberi et reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus nemine discrepante concorditer celebrata. Sique per tempus aliquod morari, abesse et tardare contingeret aliquem de electoribus seu nunciis antedictis, dum tamen veniret, antequam predicta esset electio celebrata, hunc ad electionem ipsam in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa adventus sui tempore consistebat.